



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Antiquae Lectionis Tomus ...**

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

**Canisius, Heinrich**

**Ingolstadii, 1602**

De Vita Et Miracvlis Sancti Eberhardi Norici-Biburgensis Abbatis &  
Archiepiscopi Salisburgensis

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

De  
VITA ET MIRACVLIS

Sancti

*EBERHARDI*

*Norici*

Biburgensis Abbatis

&

Archiepiscopi Salisburgensis

AUCTORE

*Sancti Eberhardi*

*discipulo.*



DVM





**D**VM vitas multorum de popularibus seu priuatis personis descriptas attendimus, ita vt non tam dignitas gestorum, seu copia scriptorum beniuolentia apicibus appareat in respectu horum in tam gloriosi EBERHARDI sanctæ Salzburg. Ecclesiæ Archiepiscopi stilo satis superq; suppetere vidimus, & hanc sub ignorantia modio linquere dedecus nobis, illi iniuriam duximus. Vnde omnium extremi, quibus aut proprie Episcopus aut notus tantum conuictu, aut meritum etiam & magister olim extitit paganus patrem reponere aggredimur, non tam scientiæ quam dilectionis præsumptione inducti, minimæ res ab alijs obmitterentur, timentes. Caritas omnia non sperat, de incertis veretur.

Igitur EBERHARDO Patria NORICA: clarissimum genus: pater bene Christianus, cæterum in sæculi honoribus, mater vero in optimis operibus extitit, quæ elemosynis, orationibus, ieiuniis pene continuis se transiens, ciboq; præter legumina raro indulserat ferrea virtus. Cuius bene gesta commendare hoc vno sufficiat, quæ Ecclesiam in honore sanctæ MARIE perpetuæ virginis cum viro in ciuitate propria statuens dimidio ferme miliario nudipes ad eam proprijs humeris lapides ferre solebat. Huiusmodi actis iam nobilitatē illam sæculi abdicasse totam videbatur, nisi quia summa ingenuitas in seruitute Christi cõprobatur. Trahebat ibi cū pedissequis suis mulierum vtriusq; conditionis turbā nō paruam, saxa portatium. Ad imaginē & similitudinē suā fecerat ceteras. Ita se natura haber, iuxta formā maiorum, minores se gerunt. Cernere erat longius per circuitum vnus imitatione fœmininum genus melioratum.

ratum.



ratum. Suum hoc opus fecit matrona. Hinc meruit filium de quo nunc agitur digna dignum, qui optimam provinciam sortitus disciplinis scholaribus consecratur, & in BABINBERGENSI Ecclesia liberalibus rudimentis traditur imbuendus, ubi docilis attentus & benevolus auditor, quantum magistro Philosophiæ impenditur, tribus ex ea partibus nactus, Physica, Ethica, Logica ostenditur. Hic itaque ævo tener in tantum generis sui nobilitatem morum virtute transcendit, ut iam non puer, sed senex, non levis, ut in tali ætate assolet, sed mox gravitate sapiens diceretur & canus. Et si aliquando carnalibus delitijs est temptatus, Dei mediante gratia, non est abstractus neque illectus. In his enim artibus vel suis speciebus nulli postmodum facile inueniebatur secundus. Successit deinde scilicet adolescentia, ubi Pythagoricæ literæ proportio à stipite indiscretæ pueritiæ, ceream ætatem dextro ranto ad beatam vitam convertit, vel leuo ramo, qui & declivior ad terrena & decliva flectit. Hinc quia dignus conspicitur canonicam præbendam in eadem Episcopali sede sortitur. Ibi vero honestissimus iuuenis in dextro ramo MARIÆ optimam partem elegit, & clam Præposito qui TYRORVM eatenus fuerat ad monasterium sancti MICHAELIS conuolâs monachalem habitum petijt & accepit. Regnum cælorum, &c. iuuenes diripiunt. Maior pars ad malum proni sunt ab adolescentia sua, sed Eberhardus regno cælorum vim fecit, & vim passus est. Quid enim præpositus ageret, ad nutum eius campanæ omnisonum dissonæ consonant, procedit ipse per semetipsum cū vniuerso choro templi ad monasterium fratrem imperant reddi magis quam rogant, eripiunt magis quàm recipiunt. Quia vero chorū Clericalem monastice tonsus non decuit, sumptibus datis in FRANCIAM cum magistro suo directus est. Vbi in tan-

tum

Math. 11.



tum profecit, quod seniores suos sensu crescente subegit. O quam foelix exiuit, sed multo foelicioꝝ redijt, immo & futuræ foelicitatis suæ signum iam reuersus videre meruit, & alijs præmonstrauit. Cum enim quadam die post reuersionem parētibus suis in domo contedit, gallina adueniens, sub uestimento ipsius ouum magnum posuit, quasi quid in ipso sperari posset populo declarans, exeundo ut assolet vociferauit. Crastina quoque die in conspectu omnium indumento ipsius ouum, sed priore grossius reposuit, in quo bis facta, quod primo Abbatis, & postea Episcopi vice fungeretur, ut credi potest, significauerit. Veruntamē semper monasticum postea in animo affectās ordinem iuxta illud Poëtæ: Naturam expellas furca, tamen usque recurret, animus adolescentis cum esset natura optimus à proposito desuesci non potuit, donec factus quadragenarius Episcopi sui OTTONIS & fratrum coniuētia monasterium subiit, & directus spiritus Domini in eum à die illa & deinceps, ut in omni religione fieret nouissimus primus. Corpus suum ieiunijs macerat, orationibus protractis inuigilat, diuinis officijs totus inhabitat, non murmurare superfluum, sed potius cum paupere Christo, pauper esse desudat. Apposita cui imprimeretur forma, erat Abbas suus, ERBO, quem laudare satis, nisi alterum penē Ioannem vel Heliam æstimando nescimus. Per idem tempus germanos suos seculares genere, statu, rebus æquē spectabiles, cum quibusdam propinquis vnus spiritus inuasit, in proprio fundo monasterium monachorum de suis hereditarijs rebus cōstruere. Delegatur in id operis absque mora BIRVGENSIS locus MUNDIBVRDO memorati reuerēdissimi Episcopi, quo validius res effectum, effectus firmitatem haberet, destinatur eo dignissimus Abbas Eberhardus tam nolens ut consecrationem quinque annis retu-

O O

taret

Hercat. lib. 2.  
Epist. 10.



taret. Sola enim cogitatio inhæserat monachorum ordinem carere ædificia Ecclesiarum, moxq; in heremū, siue cœnobium semet priuatum deponere, nunquam sibi satisfacit humilitas, nec voto satiatur virtus, sicut & vitium. Post quinquennium cum Episcopo suo BABENBERGENSI ROMAM trahebatur, erat enim cui nil deerat, quod idoneum, quod clarum ad curiam. Sic fuit in illo ipso comitatu serenissimus EBERHARDVS tunc præpositus, post paulum vero in eadem Babenbergensi Ecclesia successor creatus. Hic Eberhardi nostri fidissimus semper, & vnum par fuerat. Qui diligit iustū, in nomine iusti, non perdet mercedem. Hinc pergenti negotium BIBURGENSES de consecratione Abbatis iniungunt magnopere: pollicetur operam suam, nec minus exequitur, donec ipse per se Apostolicus INNOCENTIVS inuestiuit Abbatem & consecrauit dicens, cno fortare & esto robustus: in omni tecum sum.

Matth. 10.

Alio tempore cum Romam pergeret APENNINVM montem accessit, cuius altissimo dorso, artissimo tramite vix transitus panditur. Ibi sub ipsis radicibus mulierculam conspicatur martyrem inopia, plusquam martyrem ægritudine, quem montem transmittere volens, volens voluntate, & difficultate cruciabatur. Vidit intefius Abbas moribundam, fratremque comitantem appellat dicens, quid facimus pauperi Christo, ne in nouissimo veniens sugillet nos? At ille idiota utpote idiota, minus vrebatur & dixit. Nihil mulieribus & nobis in tali articulo. Sed enim philochristus rucino suo impositam innitens ipse manu retrorsum cauda equi transuexit foelix, qui diligit proximum plusquam seipsum. Cumque transduxisset onus, pietate adhuc vrebatur & dixit fratri; Quid tandem agimus? Miratur rusticitas & ait, Tempus tacendi pa-



di pater. Tum suspirans quod solum poterat eleemosyna data afflictam sibi dimisit. Iam tunc multorum bonorum præconio futurum se audiebat Episcopum, quod in vno probatum iri saterit. Præfuit in vicino Abbas nomine **EPPO**; cuius vita magna, probitas maior, familiaritas maxima cum patre nostro pollebat. Hunc inuenit Deus, cui de schismate futuro post multos annos contra Papam **ALEXANDRVM** prædiceret, quamquam firma anchora solius tunc **EBERHARDI** ex omnibus **ALEMANNIÆ** Episcopis staret. Ad horum formam vidit per somnium prædictus Abbas, & ecce vidua quædam, vidua videbatur, & viduam rex quidam impugnabat, & qui viduam adiuuaret non erat, nisi de **IVVA VO** monachus quidam. Hic **EBERHARDVS** videbatur, hic obstare solus videbatur pro vidua. Lucta hæc luctæ imago vtrumque feruebat, donec mutatus est, & in chalibem mutatus est monachus, proportionaliter ferrum duritiam, duritia inuincibilem signabat, turebat autem non minus in illam quam in viduam rex, donec & ipse in canem versus apparuit.

Qui habet aures audiendi audiat argumentum à simili *Matth. 11.*  
 li. Quod intelligens vir, qui viderat, retulit in auribus Abbatis & dixit, In veritate **IVVA VO** præsidebis & erit tempus, quo solus *Matth. 6.* Ecclesiasticis **ALPINAM** sustētes. Sufficit tempori illi malitia sua. Inter hæc ille paruus erat in *1. Reg. 15.* oculis suis, & extra carnem in carne apparebat. Cernere erat carnalibus & spiritualibus, nouellum locum mirabiliter surgere de nobilibus ac mediocribus fratrum forum, monachorum, quibus nihil deesset in vlla gratia & probitate subitum examen feruere. Quid de conuersationis altitudine dicam? De Abbatis dignitate hæc omnia veniebant. Hic charitate, prudentia, discretionem misericordia, omnibusque virtutum charismatibus cunctis  
 O O 2 admiratio-



admirationi, sed amori, sed timori, sed exēplo extabat. Detinebatur, sed filiali timore; de seruili metu, nihil sciebat; laboribus deliciabatur, non requie, intelligens iā illud Philosophi; Generosos animos labor nutrit per se Pauperum frequentius domum visitare nil præpediebatur. Illic inopum maxime languentium lauare capita & pectore in sinu suo, pedes etiam abluere ac deosculari, cibum ipse potumque ad os mandare solebat. Deus & pater domini nostri Iesu Christi, scit, q; non mētor quæcunq; conscribo. Quin immo plura transfiliens in dicendo & tacendo breuitati contendo. Dicam quod vidi, quod multorum attestacione, quod proprio experimento cognoui, prædicationis efficaciam ei mira nimis aderat, cūctis auditoribus commotionem semper cordis, quam pluribus etiam fletum excutere, melius fabuloso Orpheo, qui modulationis dulcedine saxa, siluas & feras attraxit, manes quoq; inferni, mirum dictu, in lachrymas mouit. Hospitalitatem namque sectabatur, quantum ostendit in milite, qui in cellam diuertens, potum domino suo transeunti cum postulasset, monacho custode hospiciū magis dominum interius vocante recessit. Comperta culpa abbatis monachum peditem vini ciphum RATISPONAM ferre petitori præcepit. Quid ageret monachus? Grandæuus erat, & nudius tertiano die venam minutus, fratrem ergo comitem petijt pro testimonio, si forte in via deficeret. Quo dato vinum per tres leugas SCHOLASTICO FRISINGENSI miranti & lugenti, quod propter se accidit, ieiunus IMBRIPOLIM detulit. Quis nō obstupesceret miraculū in tertiana minutione? Plane obedientia signum fecisse visa est, & omnes qui audierant similiter illi plaudebant gentili. \* Quirere quid est virtus, & potce exemplar honesti. Et vocauerunt magistri in vrbe potum illū, POTVM OBEDIENTIÆ. Nemo autem hæc audiens,

leg. Quere



ens, crudeliorem æstimet, quàm misericordio-  
 rem, nam miserationes eius super omnia opera eius, ut pote quum iam *Psalm. 147.*  
 labores, necessitates, frigora, famem, vigilias, magis expe-  
 rientia nouerat: quum experiētia in omnibus quoq; recto-  
 ribus ad omnia maxime conduceret, nam bella, qui num-  
 quam pugnauerunt; patientiam, qui pauca tulerunt; infœ-  
 licitatem, foelices; quieti, labores, docere cum debent,\* *l. praua*  
 parua res agitur. Igitur ad summam, magisterij, exem-  
 pla; sagittæ, experientia, ars est, iuxta illud etiam Didonis *Eneid. 4.*  
 apud Maronem: Nō ignara mali, miseris succurrere disco.  
 Hinc prædictum exemplum patris in milite, potius de mi-  
 sericordia fuit. Alias implebat, quod ait CHRYSOSTOMVS:  
 Vis apparere sanctus, circa tuam vitam esto austerus, circa  
 aliorum autem benignus. Hinc quod etiam ipse scribens  
 admiror, non loci sui nouitatem considerabat, non antiqua  
 & ditiora monasteria quid possent, quid non facerent, sed  
 frumenta fratrum ad messem vsq; computari præcipiens,  
 reliquam mesuram pauperioribus monasterijs in vicino  
 solebat transmittere. Ita in omnibus alijs nequid nimis  
 ouitans, paupertatem tamen nimis amabat, adeo ut cogen-  
 te sancto Episcopo OTTONE, decimas noualium in TAN-  
 GVTILE multas valde, ac necessaria fratrum nullatenus su-  
 sciperet. Quare hæc? ubi onus penuriæ, quanti vel quales  
 victuri sunt? Bona ergo sufficientia propter plures saluā-  
 dos. Si quo minus, teste HIERONYMO, sicut diuitiæ ita pau-  
 pertas, sæpe tentatio est, impatientiam aut solitudinem  
 faciens. Hæc generaliter dicta sunt.

II.

**R**OST XIII. annos cum placuisset Deo dicere, *LUC. 14.*  
 Amice ascende superius, CHVNRA DO Salzbur-  
 genſi Archiepiscopo incomparabili de medio  
 facto, vnanimitate Prælatorum, Clericorumq;  
 cum

O o 3

cum



cum populo, circa Paschalem solemnitatem, BIBURGEN-  
 SIS Abbas, matrici Ecclesie astat Episcopus. Specialis for-  
 licitas Iuuauenſis matris, quod talibus nunquam viduatur  
 Episcopis. Requiritur longe supra nostram ætatem, & præ-  
 stantes suo tempore omnibus Germaniarum Episcopis in  
 IUVAVO, vt soles Episcoporum videbis. De motu Biburgensium  
 dicere nõ possum. Non erat quẽ non mulcet honor oblat<sup>o</sup>  
 quin territus nõcio fugeret, & latere velle, vt non esset do-  
 mnus cœperit. Sed hæc frustra tẽptata, cũ venientib<sup>o</sup> pri-  
 mis Ecclesie inuenitur, trãs fertur, vngitur, & preciosa<sup>a</sup> cor-  
 nua metropolitani fronte insignitur. Quanto tũc magn<sup>o</sup>,  
 humiliabat se in omnib<sup>o</sup>; Vigiliis, orationibus, abstinentiæ  
 operã dabat, scripturæ sanctæ, præter in mēsa & in equo, nõ  
 diebus neq; noctib<sup>o</sup>, ex oculis migrabat; & manibus fregit e-  
 surienti panẽ suum, & egenos vagosq; induxit in domũ suã,  
 nudos quos vidit operuit, & carnẽ suã non despexit. Pupil-  
 los enim vt pater aluit, & viduas de tribulatione eripuit, at-  
 tẽdens illud Apostoli: Hæc est religio munda & imaculata a-  
 pud Deum, visitare pupillos & viduas in tribulationibus  
 eorum. Pro istis & his similibus, stabilita sunt bona illius, e-  
 narrabit omnis Ecclesia sanctorũ. Contra morem Pharise-  
 orum omnia opera sua facere studebat, ne videretur ab ho-  
 minib<sup>o</sup>. Perhibebant enim seruientes eius, postea monachi  
 facti secretas venias in Ecclesia nudis cruribus eo terere so-  
 litum, vt defricata in pavimento cute & carne, genua san-  
 guine inuenirent fluentia. Ita eis cum præ lassitudine in ter-  
 dũ obdormisset, fors pdidit. Eleemolynarum largitati vir-  
 tutes omnes cessere. Secundũ Matthæum, sermo eius erat  
 quasi potestatem habentis, sup ægros, vel etiam dæmones,  
 ita vt verbum faciens in ecclesia, cum eiulatus demoniacorũ  
 omnia replet, terreret, confunderet, vno tantum indi-  
 gnationis dicto, statim eis vocem, insuper motum quoq;  
 omnem ibi auferret, Hæc

f. corona  
 Eccl. 3.

Esa. 58.

Jacobi. 2.

Eccl. 31.  
 Math. 6.

Math. 7.



Hæc fuit nostro Antistiti communis cum beatissimo Papa EVGENIO virtus, in cuius moueri præsentia, vel se insinuare præsentia non audebant dæmonia. Non minus obedire ægritudines, aliquando auctoritati Præsulis, & abire nouerunt. Deniq; apud monasterium S. PETRI, quandã sororum diutina ægritudo cõfecerat, ita vt curari à nullo valeret. Hanc in conspectu suo cum multa spe & desiderio oblata in nomine domini benedixit, & recedenti extẽplo perfecta incolumitas redijt. Quæ post aliquod tempus de nouo venienti, ouanter se representans, cum gratias agere pro sanitate cõpisset, ad primam vocem refutata & lingua oppressa est. Profecto cum asserit beatus GREGORIUS, Prælatos à subditis, subditos à prælatis iuuari vel lædi, fœlices manere discipulos huius quondam abbatis manifestatum aliquando est. Adeo patris merita redundarunt in filios, vt morientes interdum sui saluarentur, quoniam sui fuerunt, quod minime monstrari operæ pretium est.

Cum adhuc monasterio præsesset, grandæuus quidam, quasi annorum C. cum vxore, & substantia non minima apud eum conuersus cappam induit, quæq; retro sunt obliuiscens, iam nil pene præter Ecclesiam & orationes continuas nouerat. Mirareris \* vnum; decrepito eo alacritas in studio, ad studium sensus. Taliter sub pio EBERHARDO & successore eius, circiter annos XII. conuersatus, mense Ianuario ad matutinum signum, in stratu repertus est mortuus. Odiosum genus mortis, anceps, lubricum, attamen non potest male mori, | qui bene vixit. Ipsa enim nocte & hora trãitus prædicti fratris vidit per somniũ quidã confratrũ, dæmones grege cellã infirmorũ suo more petentes & alijs ad fõres operientib; , alios intro ad suscipiendã animã senis irruentib;. Post paululũ ad collegas egressi, horrẽdũ elatrãtes cõcrepabãt: Achdolor, virũ amissimus, frater EBERHARDI  
Epif.

Philip. 32

unde decre-

pio



Episcopi erat. Tum infœlix acies ciuilans, & blasphemans disparuit. Quid ni ergo fœlices Eberhardi, Benedicti, Antonij discipuli?

Procedente tempore iuxta dictum gentilis: Omnia mala ex rebus bonis orta sunt, cum ortum de Apostolica electione schisma ineffabile ex bono malum fecit, diuina & humana confudit. Væ quos inuoluit illud contagium. Vbi vnctus legitimus? Ecce hic, ecce illic. Nouit Petrus qui sunt eius: Imperator refutato ALEXANDRO, quem coniurasse prius contra suam rem publicam querebatur, alij æmulo totis viribus cum adhæreret ex maiori parte ITALIAM, post & ALEMANNIAM traxit, reliqua Ecclesia in obedientiam Papæ ALEXANDRI concessit; fuerunt quam plurimi aliquot annis neutrum suscipientes, tum odio partium, tum quod neuter sincere per omnia, & simpliciter intrasse videretur. Inter hæc erat videre triste, iustitiam & miseriam latè simulari, intrudi, expelli, nec pacem nec bellum ex iure, & Apostolicus noster interim fuit quasi nō esset. Atqui LVVAENSEM & BRIXINENSEM Episcopos cunctorum mortalium, quos tunc nouimus sanctissimos, nemo cum nesciat in tanta partium caligine, quæstione & conuestione, in tanta omnium dubitatione, tantorum vestigia patrum tuto sequi nos posse credimus. Post longam nempe considerationem Metropolitæ noster, solus ex omnibus Episcopis ALAMANNIÆ præfatum BRIXINENSEM Episcopum Hardmānum reuerendissimū post se trahens, Papam Alexandrum laudauit. Vnde nobis postmodum inter multos audientibus, aliam rationem nō dedit, nisi quem tota Ecclesia cum his, & his regnis in Alexandrum consensit, iustiores hunc æstimamus. Quod quasi præfagij futurorum dixit, exitus post multos annos probauit. Sic Augusti tunc solus fata impediens, non ta-

mea



men Augusti in se manus commouit. Quam diuerse, quā-  
 tis aduersis prædecessores sui rem tantam in Cæsares  
 HEINRICOS præsumperant? Et ecce plus HEINRICIS  
 hic. Furebat bilem & nuncin nostrum EBERHARDVM.  
 Augustus & suam ipsius animam pertransiuit gladius: sed  
 ubi in præsentiam venisset, reuerentia sanctitatis eius spi-  
 ritum reprimebat. Dignitas quædam angelica in vultu,  
 & pondus tale oculos ac mentem obibat, vt nisi timere  
 plusquam mortalem, & contremere, & parcere, & venera-  
 ri non possent. Hæc de semetipso confiteri princeps so-  
 lebat. Oderat nimis semper sanctissima anima prosperi-  
 tatem suam, & temporalem gloriam, ardebatq; prædicta  
 vel qualibet occasione, qualibet aduersa, siue exilium, si-  
 ue etiam mortem sustinere pro domino; sed sic eum vo-  
 lebat manere donec veniret. Interea more suo pacem  
 reficere in RATISBONA laborabat, populosissima vrbe,  
 neq; enim apud GERMANOS populosiorē urbem, ta-  
 meti si latiorē testantur qui norunt.

Dux autem \* Barbariæ perspecta simplicitate IMBRIPPO-<sup>Bavariæ.</sup>  
 LENSIS Episcopi, qui per subreptionem tunc præfuit, in sa-  
 tiabili avaritia, maximum fiscum Episcopij, id est castrum  
 quoddam, cum omnibus pertinentijs suis vsurpauit. Epi-  
 scopus primo furere, obstrepere, cælum turbare, nil pen-  
 si habere, ab vtroq; totus plene Episcopatus cœpit incen-  
 dijs & rapinis vastari. Urbani inter alterucros diuisi abie-  
 rant. Hæc pater patriæ anxius cum animo suo trahens,  
 tum pro pace, tum maxime pro vrbe, ne læderetur satage-  
 bat, quomodo quidem hæc mater prouinciæ, & aspectus  
 eius in vniuersam terram, & omnium fructus foret in ea.  
 Dux obedientiam promittebat, in omnibus Episcopi stul-  
 titiam pigram exponere, quomodo damnum maximum  
 & confusionem quam utilitatem maluerit. Pater cum à

P p

Duce



Duce vitam captiuis, remissionem vrbi, memoriam æternam labori suo obtinuit. Postmodum diuinæ reuelationis gratia obitum suum longe ante præsciuit, sicut subiecta declarant.

In FRISIENSI ciuitate mulier degebat inclusa. Quæ ante annum transitus Episcopi, orationibus solito cum incumberet, rapta in spiritu, ad contemplanda illa æterna & inuisibilia mortalibus viuentibus est. Vidit itaque supplicia reproborum varia & horrenda, quæ in cor hominis ascendere non possunt, vidit deinde mansiones beatorum & gaudia, quæ impossibile homini loqui. Super hæc omnia contemplabatur apud superos gloriosam sedem, cuius opus & species omnifamine mirabiliora, sedique huiusmodi sanctum PETRUM & sanctum RYBERTUM altrinsecus superstantes custodes. Cum miraretur super magnitudine horum, à sanctis illis responsum audiuit: Hæc est sedes EBERHARDI Archiepiscopi, quam ad eius usque custodimus aduentum; propè est ut veniat tempus eius, & dies eius non elongabuntur. Hæc mulier per familiarem nuncium mandat, & usque ad mortem Pontificis in ore trium res latet.

Appropinquante igitur vocationis suæ tempore, cum iam pridem viribus corporis cepisset destitui, de pace itidem negotium habuit, bonam hanc virtutum suarum confirmationem existimans, si pacem Ecclesiæ redditam reliquisset. Dissidebant more suo, dum inter se Dux orientalis BAVARIÆ, nec non & frater suus valdè excellentissimus, tunc PATAVIENSIS præsul, mox autem Eberhardi nostri successor IVVAVVM translatus est Metropolim. Consulto, ni fallimur, hanc translationem arbiter ille temporum Deus indulsit ita ut congruum magis & dignum, in quo solo tota procella temporis consumeretur, finis docuerit. Hinc concordare fratrem in visu beatus præsul non leui-

ter



ter, utpote in mortis vicinia laborabat. Quid frater? Quam infraterne, quam procul à constituto colloquio aberat? Sed adhuc longius sequens dominus homini suo deferebat, vnum humiliter submonitus à suis, cum magna dulcedine allegabat dicens: Scio charissimi, qui de cœlo descendit ad terras. Quid nos? Et ad hæc quis idoneus? Adijciensq; aiebat suis: Fateor spem in hoc maximam habeo, si mori in negotio pacis, vel ante capere tanti boni salutem initium quiuero. Beati enim pacifici, & quid sequitur? Quoniam filij Dei vocabuntur. Desiderium vero suum iusto dato iuxta Salomonem, est inter pacis attentiones, ad æternam est pacem translatus. Vnde omnium puncto notatus est MARTINO similis, pro eo vel maxime quod castrum Episcopij vir clarissimus OTACHER Marchio, eadem tempestate obsederat, ministerialem Ecclesiæ præfectum oppido persequens. Aliena res. Quam diutinum Ecclesiæ, vel etiam perpetuum capto oppido malum veniret! tragœdia more omnium erat. Vix opus compulit aduenire Antistitem: sine operæ precio tridie rex agitur, cum demum cõfirmatus pater proloquitur, iam ecce in castrum meum ascendam, quis obftet videbo? Occupat serenissimus Marchio necessarios consulit, obsidionem sine omni pacatione soluit, dignum honorem cedit Episcopo. Reddidit hæc pater, ut ministerialem conditionibus satisfacere tandem persuaderet. Erant hæc opera eius nouissima, cum iam morbo decurrens migraretur, quatuor equis intrahere faciebat, aut hæc aut se iam palam omnibus diceret, pacem relinquo vobis. Perducitur in hæc ad RVNENSE monasterium, vbi synodochus, ut cœperat aliquandiu laborans post tertium diem sudore exundato magis defecit.

Hinc paululum sustinens ait, Modo auditum amissi. Quo sensu scilicet auditus, ut ita dicam, supra naturam

Pp 2                      hominis

March. 5.

Proverb. 24.

f. triduo res

Ioan. 14.



Mors Eberhardi  
di. Arch. Salis.

hominis semper vigerat, sic ut procul susurrantes audiret & proderet. Sequenti die dominica ad vesperam vocante domino x. Kal. Iulij, naturæ concessit, anno Episcopatus sui xviii. mense secundo. Anno ab incarnationis domini m. c. lxxiii. ab ordinatione Papæ Alexandri vi. & imperatoris Friderici tertio decimo. Mors eius pro tempore lamentabilior fuit. Languerat mater Ecclesia in omnibus membris, & cum hic caput totius extaret imperij, sanctitate & gloria sanum caput interim infirma curabat. Quæ spes temporis? Quæ futuri? Melius est habere quod cupias, quam desiderare quod nescias, Quid plura? Transferbatur defunctus longo & aspero itinere ad matricem Ecclesiam, & exequias mire pauperes celebrabant, genus illud Deo propinquum, Quid de cæteris dicam? Istud novum, hunc beatum gementes dixerim conceisse leprofos, & planctu, oblationibus, elemosynis, orationibus suprema iusta ei fecisse. Rarum genus. Inopes in cælum reboabant, Patrem amisimus. O perniciem nostram. Ipsi potentes, alius dominum, pars amicum vel patrem amisisse dolebant exemplo præcellentissimi & nostris temporibus eruditissimi.

III.  
Epistola Babenbergensis  
Epi.

Babenbergensis Ecclesiæ qualiscumque minister venerabilibus, & in Christo plurimum dilectis fratribus & amicis HYGONI SALZBURG. VDALRICO KINNS ENSI præpositis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis, pro spiritu mœroris. In commemoratione beatissimi patris nostri ac domini Archiepiscopi iugiter in mentem venit, imo à memoria nostra non recedit, quod diuiso à se domino suo, & curru igneo subuecto, vernaculus & indiuiduus ille comes Prophetæ post eum clamavit dicens, Pater mi, pater mi, currus ille Israhel & auriga eius. Nunquid enim magnus iste sacerdos noster, qui in diebus suis placuit

4. Reg. 13.  
Eccl. 44.



placuit Deo, & inuentus est iustus? Currus enim fuit, dum necessitates & infirmitates alienas, præsertim onera peccatorum & inopiam pauperum paterna consolatione & compassione subleuauit. Quasi diceret: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Vel, Nunquid auriga non fuit, qui creditos sibi, rexit, & direxit in viam veritatis exemplis pariter & documentis? Oculus fuit cæco, & pes claudo. Manus eius non est auersa ab illo paupere, cum quo cordi erat iocari, conrixari, & tandem ab invalida manu exsuperari. Insuper vt omnibus omnia fieret, etiã supra legem, non contra legem, habitum leprosi & tactum lepræ non abhorruit. Raptus ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam eius. Sed consummatus in breui, expleuit tempora multa. Equidem sicut scriptum est: malitia remanentium meretur, vt hi qui prodesse poterant, festine subtrahantur. At qui mem orabilis ille assecla Prophetæ magnificam duplicis spiritus habuit consolationem, nobis autem in transitu viri sanctissimi, præter lucum nihil amplius derelictum est, nisi forte digni essemus apud Deum, tanto subleuari patrocínio, Talis decebat, vt nobis esset pontifex, cui viuere Christus & mori erat lucrú, propositum quidem nobis erat festinandum eum videre; sed prohdolor peccatis nostris exigētibus, extremum hoc beneficium percipiendæ ab eo benedictionis nobis diuinitus denegatum esse lamentabiliter & inconsolabiliter conquerimur, & infra, consolemur inuicem, pater noster pijsimus intrauit in gaudium domini sui. Ipse autem pater misericordiarum & Deus totius consolationis consoletur vos, & abstergat omnem lachrymam ab oculis vestris. Hæc serenissimus BABENBERGENSIS Episcopus.

Sed redeamus ad propria, sepulti enim merita dominus declarare non distulit. Mulier Hydropica, quam suo

Pp 3

more

III.  
Miracula ad  
sepulchrum S.  
Eberhardi.

2. Cor. 12.

Iob 29.

1. Cor. 9.

Sap. 4.

Philip. 1.

2. Cor. 1.



more beatus viuens abluerat, ad sepulchrum defuncti tanto afflictior, quanto coactor fusa cœlos vexare lamentis non desijt. Ut quid me pater, ait, desolatam relinquis? Aut cui amantissimum gregem pauperum commisisti pastor? An potius quasi orphanos dereliquisti, & dixisti, Quod moritur moriatur, & quod succiditur succidatur? Sed nunc peto per illum quite assumptis, ut miseris meis quomodo hactenus corpore, ita modo per spiritum digneris succurrere. Hæc deprecata, exaudita, sanata egressa est. Præterea reuerendi cuiusdam de cœnobio IUVAVENSIS memoratu digna visio existimata est. Videbatur hic sibi per somnum, dum siti vrenti circumageretur, Ecclesiam, miri decoris, errabundus intrare; illic beatam Dei genitricem MARIAM, vultu ut est dignissimo eminus confedissee, & velut puerum in gremio caris amplexibus conspicatur tenentem. Agnouit dominam de pueri persona & gloria hæsitans erat atque admirans. Cui mater misericordiæ paucis dignata est hæc ad verbum proferre. Hic est filius meus Eberhardus, qui nihil mihi vnquam negavit. Huius rei tot testes, quot decuriones Antistitis sunt. Omni petenti tribuere solebat, quod sanctæ Mariæ nomine petitus fuisset. Ecce qualis mater, talis filius, sibi fieri, quæ propter se fieri testantur. Post hæc videbam seniore, & pincerna calicem mysticum poculum geminimis cœlestis propinans ingrediebatur. Libauit regina, deinde puer, qui videbatur puer, domina præbente, ut vino indulset; vltimus senior, dum ad se ventum, fallitur; proprie subiens ut acciperet, Dei genitricis audiuit sententiam. Non poteris adhuc interim de tali poculo accipere. Videtis quam districta vox. Beatiores ergo mortui, qui in domino moriuntur. Post id locorum excitatus somno, senior tamen ipse, quam omnes qui audierunt congratulati visioni cœperunt.

Plura

Zarb. 176.

Apos. 14.



Plura huiusmodi memorare copia non deerat, sed commendationi patris nostri pauca hæc non erunt. Breuiloquium semper amauimus, & modum in rebus. Si cui ad noticiam saltem beatissimi domini nostri hæc suauia erunt, hoc est totum pro quo laborauimus, si quis exsufflat, fortasse illi aut omnia scripturarum insuauia erunt, aut scriptoris indignitas acceptatione hic caruit. Atqui sicut scriptum est, cognationem inter se maximam habent amor & potestas. Vtraque enim principaliter præsumt, vtraque per auctoritatem semper loquuntur. Non potestate verum amore peculiari, cum venia potentium istud scribendi ministerium forsitan merito, utpote ex discipulis eius antiquis Carissimi, licet infirmi, vendicauerimus. Quid plura? Restat suspirare post tantum cœlitem, & conuictos suos post eum iam minus velle hanc vitam. Hi nempe vel sola eius \* forma sciunt, quid bonum sit, & cœlum & virtus, & in terra ambulans conuersari in cœlis, vbi Christus est in dextera Dei sedens, & regnans per omnia sæcula sæculorum amen.

**R**ost obitum igitur Deo dilecti Antistitis EBERHARDI tot miraculorum Christi Ecclesia clarescere cœpit insignibus, quot sanctus adhuc viuens, virtutum abundabat operibus. Et qui mundo tunc latere disposuit, signis quæ iam per ipsum fiunt, approbatur quis fuerit. Qui enim tunc dixit cum Isaia: Secretum meum mihi Secretum meum mihi, nisi ne elatione temptaretur; quæ sunt latibulum ad angelorum ecce & hominum deducit est commune spectaculum. Quod dum etiã in occulto mentis secretario factum est, iam super tecta predicatum est. Huic sancto acclamat ipsa veritas in Euangelio: Nihil opertum quod non reueletur, & occultum quod non sciatur. Qui enim tunc abscondit eleemosynam in sinu pauperis, nunc per ipsam habetur excusatus in conspectu summi iudicis. Decebat ideo, ut quem

Philip. 3.  
Coloss. 3.

V.

Isai. 24.

1. Cor. 14.  
Luc. 12.

Matth. 10.  
Luc. 12.



quem honore ditavit in cœlis, signorum, vel magis beneficiorum claritate dominus magnificaret in terris. Quænam vivens fecerit, nonne hæc scripta sunt in notitia singularum? Nisi tamen præteritorum scriptura commemoraret, non est in futuro, qui Deum in sanctis suis glorificet. Vnde est illud. Cito fecerunt & oblii sunt. Quæ enim scripserunt scimus, & quæ prætermiserunt nescimus. Non equidem legimus in tota veteris testamēti serie, quis fuerit ille Zacharias, qui occisus est inter templum & altare. Si sciretur quis esset, DEVM in ipso plebs glorificaret. Necessariū est ergo, vt ab initio propositiones loquamur, quanta audiuimus & cognouimus ea, & fideles narrauerunt nobis. Signis quidem fides populi fundatur. Vnde est illud. Signa nostra non vidimus, iam non est Propheeta, & nos non cognoscet amplius. Vt ergo sciant omnes quia beatus EBERHARDVS cum Christo regnat, beneficio declarat in mortuo, in quo sic complacuit adhuc vivo.

*Psal. 77.*

*Psal. 73.*

*Matth. 18.*

Igitur o lector, quia in ore duorum vel trium stat omne verbum, si humanum negaueritis testimonium, miraculis saltem quæ fiunt, fidelem præbeas assensum. Probant quidem sanctum miracula, & populo sanctitatem eius reuelant Domini beneficia. In primis enim manifestavit eum Dominus sic.

Homo quidam Diabolo instigante Ecclesiæ maioris seras temerario furore irrupit, & detestabile furtum in ea commissurus intrauit, & scrinium cuiusdam Canonici securi violenter confregit. Ex qua duas casulas cum reliquis sacerdotalibus, cæterisque bonis subripuit, saccoque delaturus imposuit, sed exiturus virum ætate canum, veste candida circumamictum sibi cominus assistere conspexit. Vnde quidem non mediocriter territus, sed nequitiam suam, nec dum persolvere veritus, cum onere processisset



fisset in medium, sed propè sepulchrum beati EBERHARDI duobus passibus distans immobilem fixit statum. Sanctus enim creditur qui Ecclesiastica protexit viuis, iam cum Christo melius valens, Ecclesie damna non passus est mortuus. Tam diu igitur nutu Dei stetit inconcussus, donec à populo cum sarcina captus, rem gestam publicè profiteretur confusus.

Accidit autem vt quidam puer de MATHESE nutu diuinæ prædestinationis à natiuitate cæcus ad limina beati RVDBERTI deferretur, sed beati Eberhardi tumbæ superpositus, prece omnium qui aderant oculorum perfusus est luce. Puella quoque quædam de *Gensharn* duodennis surdum & mutum habens spiritum, beati viri sepulchro aduoluitur; sed fidelium interpellatione auditu similiter & voce reparatur. Item miles quidam domini Archiepiscopi nomine RVDIGNVS, filiam habuit paralytis vno brachio destitutam, immo præmortuam. Pro eius sanitate mater sæpè frustrabatur in medicis; sed ecce ad melius conuersa, beati Pontificis gratiam experitur & dona; Christum compuncta petit, & sanctum luminare parans metitur vt brachium, tumbæ sancti præponit, vt ardeat, domumq; reuersa sospitam filiam inuenit, Deumq; in sancto suo glorificat. Mirum in modum, mulier in templo, sanctus in domo illa accendit candelam, iste sanat filiam, cera liquendo decrescit, sed virgo meliorans inualescit.

Similiter & quædam sanctimonialis fœmina, ex calculorum longa ægritudine fere consumpta, ante sepulchrum sancti viri prostrata compūgitur, & dum pie supplicat, meritis sancti, calculus dilabitur, & ipsa sanitate percepta gratulatur. Dignum quippe erat, vt qui duros hominum actus emolliuit vt saxa, sic quoq; in prosperum supplex ipse supplicum commutaret aduersa. In Cœna quoque, Dæ-

Qq

moniacæ



moniaci iam diu obsessa adducitur, supra quam cum exorcismus legeretur, spiritus nequam qui inerat, varijs linguis fabulabatur. Dum vero fit illi comminatio à Clero, per beatum VIRGILIUM, Daemon clerum subsannat, & se VIRGILIUM magistrum suum iam tertia die in inferno reliquisse clamat. Quæritur ergo, quis vel cuius ille VIRGILIUS sit; at ille MANTVANUM poëtam fuisse respondit. Tunc interrogatur, ubi vel per quem sit exiturus, dixit, quod cum ad <sup>o</sup> pauperem pauperum venerit, iam amplius illi remanendi locus non sit. Tunc summo diluculo cum Antiphona: TRADITOR autem, diceretur, sub specie vespertilionis egredi visus est. O miræ virtutis, vel potius piæ paternitatis indicium, die qua seipsum panem salutem discipulis proposuit, tunc beatus EBERHARDVS mortem effugans, vitam condonat ouibus suis. Sed ex Dæmonis fœtore, Archiepiscopus noster simul cum Ratisponensi Episcopo de sede sua propulsi sunt.

\* Patrem

Non diu hic miles quidam de nemore sancti LEONHARDI, vxorem suam sepulchro pij patris applicuit, quam nutu Dei & sancti meritis, licet diu contractam, cito erectam lætus obtinuit. Simili quoq; modo mulier quædam de *Strazpraisen* humorum ariditate seu neruorum contractione, manuum officio destituta, inuocata sancti, pristinam sanitatem est adepta. Subsequentem tempore puella quædam de *Nunuenburch* Marchion. cæca patre comitante aduenit, sed sancti sepulchro aduoluta adstantium supplicatione, visum scelix obtinuit. Item femina quædam de *Engelbrechheim* pluribus annis obsessa, à deuotis fidelibus monumento præsulis adiungitur, & ipse mutus, sanctum confitetur corde quem non potuit ore; sed virtute sancti instruitur, quid loquatur voce. Miles quidam calculosus diu languens & pallidus, tamen patris  
nominis



nomine inuocato, sic calculum digerit, quod nullam molestiam sensit. Similiter & mulier de *Rymese* arreptitia adducitur, sed meritis supradicti Pontificis de potestate Dæmonis celeriter emancipatur. Post hæc paucis mensibus decursis in præsentia Archiepiscopi *CHVNRADI* Brixinensis Episcopi *Heinrici*, marchio minor, *DIETBOLDVS* de *Dobenburch* / sancti Eberhardi aliquando nutritius, mulierem per decem & octo annos energumenam adduxit, pro ipsa tota nocte vigilans, quam sanandam in sancti sui glorificatione usque adhuc Deus distulit, à domino suo curatam obtinuit. Mulier quædam de *Wuldborff* à spiritu nequam vexata adducta est, sed sanitatis gratiam quam quæsiuit, fidelium prece ab ipso patre citius nacta est. Audita igitur fama miraculorum beati Eberhardi, cæterorumque *Ivva* *VENSIUM* sanctorum velut ex vehementi tonitruo ab incredulitatis fomano citius, velut excitatur charitate tepentium multitudo. A remotis accedunt provincijs, & ab alienis adveniunt regnis, miraculorum surgunt fulgura, hic *Ivva* *VVM* quærere, quod fides non obtinuit apud se. Inter illos videlicet quædam mulier venit de *Wirzburg* / luminis causa, cæco petit merita pij patris expediri. Dum ergo *Ivva* *VVM* iam diutius moratur salutis cupida, tandem ex improbitate pietatis ei aperitur ianua triplicis fidei, percepit alimenta, sic pascitur per fidem, quod corporis & animæ recepit sanitatem. Mirum in modum oculis carnis experitur ut videat, & oculis cordis experitur quod credat. Dixit quidem vidi eum in carne manentem, sed nunc experiar in cælo regnantis virtutem, feliciter experta est, quia quod petijt adeptæ est. Accessit enim ducta per alterum, sed ecce regreditur sibi præmonstrans iter suum, & quæ accessit contristans læta reuertitur Deum in sanctis suis glorificans.

Qq 2

Post



\*locus vitiosus

Post hæc non diu duo venerunt milites ducentes contractum per singula, cupientes si B. Eberhardi virtus esset, vt fama. Æger itaq; ille iam pridem miles & prædo nequissimus, & ex incestu cum vxore scilicet fratris sui fornicando, per prædictum Antistitē erat excommunicatus. Cum ergo vsq; post mortem ita perseverante inpenitens, qui potuit volūtarius infirmitate pœnitere, coactus est nosens. Corpus quidem suum vsquequaq; contrahitur, & velut ex lepra sicca quadam scabie sordidatur. Audita igitur pij patris virtute, accessit confiteri mortuo, fide tactus vt placeat, cui noluit viuo. Cum ecce iam tumbæ appositus deuotionis offert precium; at sanctus soluit peccati vinculum, & contractum erigens reddidit sanum. Vox ecce populi in laude sustollitur, Christus in sancto, & sanctus in Christo benedicitur, qui ægre peccanti tam mirifice propiciatur. Socij vero sui sanato applaudunt, sed ab eius mensa, quia adhuc liuida scabie, maculoso se subtrahunt, ipsi tamen memoriam S. Eberhardi celebranda commendare non sinunt. At ille infelicitate inquit, malle vt primo contrahi, quàm sic à vobis erectus despici, quoniam si plene sanasset applauderem, sed iam despectus doleo propter hanc erectionem. O quam terribile, inquit, dictu; in crastino metum contrahitur vsq; ad genu, vt qui sanari doluit, iam solito infirmior sit. O miranda pastoris sententia, mortuus mortalia soluit, vincula soluit; anima nexum corporis, virtutem pastoris experitur ovis. Pastorem igitur non irritare disceat subiecta conditio, discat nō irretiri peccati vinculo, nisi mors præmineat absit omnis propitiatio.

Mulier quædam de Ense virū relinquens legitimum, ioculatori se iungit ad victum, infaciabilem fouere cupiens appetitum. I V V V M igitur veniens lasciui ter, vt stolidam garrat, & ioculatur vt ganea, legitimi fœderis adulteratur oblita.



oblita. Tandem ad sepulchrum beati Eberhardi accedit, ut composita, cum chirothecis offert elata, sed ultione divina percutitur, & fit arrepticia. Solita rimatur ludicra iustitiæ, blasphematur ut garrula, huc & illuc se voluit in æra, quomodo sic à dæmone vexabatur obsessa. Educitur ergo & trahitur in templum, & à clero circumstante exorzatur dæmonium, & mulier delicta confitetur ne pereat, & emendare promittens Deum liberata glorificat. Laudet ergo Christus in sancto, laudetur sanctus in Christo, qui sic dispensat, ut laborent infirmi, ut sanitatem eis redditam sanctorum suorum ascribant meritis & suæ virtuti. Quid enim sit per sanctos, Deus facit in ipsis. Vnde est illud: Sine me nihil potestis facere. Operatur enim omnia in omnibus, diuidens singulis pro ut vult. omnium enim potens est dominus; & hæc facit, ut sanctum glorificet, & notam faciat nobis potentiam suam, dicens per Prophetam. Videte quod ego sim solus, & non est alius Deus præter me. Excutit enim Pharaonem & virtutem eius in mari rubro. Quis est Pharaon nisi diabolus? qui est Ægypti id est tenebrarum rex. Ipse quidem quos potest exterminat, id est extra terminos patriæ ducit & necat. Quid est mare rubrum, nisi martyrium, vel Christi passionis sacramentum. Quasi enim Pharaon cum exercitu suo in mari rubro submergitur, cum diabolus & vitia sua Christi & sanctorum suorum passione conuincuntur. Ideoque gloriosus Deus in sanctis suis, mirabilis in maiestate sua, terribilis & laudabilis, & faciens mirabilia solus. Et hæc facit ad laudem & gloriam nominis sui: Qui est Deus benedictus in sæcula. Amen.

Ioan. 15.

1. Cor. 12.

Esa. 47.

Psal. 67. vs. 76.

Qq 3

DE